

Meritum de condigno est ordo operis ad praemium *vi operis*, et ideo est exigentia praemii ex iustitia. Ita miles meretur stipendium.

VOLUNTARIUM. Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis (S. Th.). Dividitur in *perfectum et imperfectum, necessarium et liberum, in se et in causa, positivum et negativum.*

Voluntarium perfectum. Actus procedens a principio intrinseco cum *perfecta* cognitione finis : quae cognitio perfecta habetur quando cognoscitur *ratio* finis, et *proportio* mediorum quae ad finem ipsum ordinantur. *Aliter* : Voluntarium perfectum est quod fit cum cognitione rationali, quae quantum satis est, objectum consideravit.

Voluntarium imperfectum. Quod procedit quidem a principio intrinseco sed cum imperfecta cognitione finis : est autem haec cognitio imperfecta, quando apprehenditur *finis* sine hoc quod cognoscatur *ratio* finis et *proportio* actus seu medii ad finem. Inde est etiam in brutis ; perfectum in homine tantum. *Aliter* : Quod fit cum cognitione solum sensitiva, vel cum cognitione rationali quae non satis ad objectum attenderit.

Voluntarium in se seu directum. Quod positive, immediate et per se est a voluntate intentum ; ut cum aliquis intendit scribere, et omnia disponit ad scribendum, et calamum arripit manu et manum movet et dirigit.

Voluntarium in causa seu indirectum est illud quod positive, immediate et per se non intenditur a voluntate, intenditur tamen aliquid unde necessario sequatur. E. g., cum aliquis intendit die festo venationem, ex qua impediatur audire sacrum, haec ommissio sacri est voluntaria in causa.